

gerere personam testis et judicis. Affirmat Berardi (Prax. Conf. n. 3209), quoniam hic est sensus manifestus legis, neque constat de ejusdem injustitia. Huic assentimur, quatenus sensum legis hunc esse opinamur ut juratus, in responso dando, attendere debeat non tantum ad juridice probata, sed ad notitiam privatam. Lex enim (Cod. Instruct. crim. a. 342) declarat totam mensuram ipsius obligationis contineri hac quaestione: " Habesne intimam convictionem? „ Sed, ob rationes supra allegatas, putamus regulariter illicite acturum juratum qui reum juridice non convictum damnet. Nihilominus excipiendum ducimus casum quo impunitas delinquentis gravi nocimento reipublicae futura existimetur, puta quia, ob factionis praepotentiam vel sectae minas, testes loqui non audeant vel falsa testati sint; quare etiam populares tumultus forte timeri possint vel tumultuaria accusati occisio. (*lynchlaw*) Etenim non videtur illicitum in talibus adjunctis uti facultate quam ipsa lex publica offert et quae juri naturali in adjunctis extraordinariis non repugnat. Notandum autem est reipublicae satis constare de culpa accusati per testimonium juratorum qui non singuli, sed tantum per majorem suffragiorum numerum, accusatum damnare possunt, ac proinde cessare praecipuam rationem ob quam talis damnatio a plerisque reprobat, quando unius sententia pronuntiatur, vid. quia de scelere certo constare nequit per testimonium unius. Supponimus tamen praecessisse processum legalem, in quo plena libertas data sit reo tuendi seipsum et servatus sit, quantum fieri potest, ordo juris. (Vol. I. n. 367)

CAPUT. II.

DE ACCUSATORE ET REO.

§ 1. DE ACCUSATORE ET ACTORE.

10. I. Accusator, de quo Theologi Morales agere solebant, intellegatur civis qui, in causa criminali, onus criminis probandi in se suscipiebat. Hodie autem, in foro civili, id onus nulli privato incumbit, sed tantum a magistratu, cui *Procuratoris* nomen datur, assumendum est. Hujus magistratus officia e generalibus principiis de Jure et Justitia facile deducuntur. Praecipua sunt: ne accuset eum de quo dubitat num crimen commiserit, et ut, in decursu causae, si se errasse compererit, accusationem abrumpat vel, si id nequeat, quantum potest, indemnitati accusati prospiciat.

Privatis hodie, in foro civili, incumbit tantum obligatio denuntiandi seu crimen deferendi ad magistratum ut is, pro officio suo, bono communi consulat et (si ipsi videbitur) ad punitionem delinquentis procedat.

Denuntiatio hujusmodi *potest* fieri quotienscumque de crimine commisso seria indicia habentur; fieri autem *debet* in casibus sequentibus (S. Alph. l. 5. n. 236):

1° Si talis denuntiatio necessaria est ad grave damnum commune vitandum: quo casu obligatio esse potest etiam cum magno incommodo proprio.

2° Si eadem necessaria est ad arcendum grave damnum tertio innocenti imminens: quo tamen casu a denuntiatione excusaretur qui eam sine gravi incommodo proprio vel alieno facere non posset.

3° Si quis munus suscepit quo ad talem denuntiationem faciendam obligetur.

4° Si denuntiatio, lege positiva, quandoque praecipitur. Hujusmodi lex, in foro conscientiae obligans, hodie plerumque non est nisi ecclesiastica. Cfr. nn. 294 seqq. et 596.

II. Actor vocatur qui in causa civili litem alteri intentat. Ejus quoque obligationes morales facile e principiis generalibus deducuntur.

Dubium tamen manere potest num liceat ipsi causam justam prosequi productis chirographis quae aliis amissis vel destructis substituerit, aut etiam penitus confinxerit.

Haec agendi ratio continet sane mendacium officiosum et potest graviter adversari caritati quam actor sibi suisque debet, eo quod se, absque sufficienti ratione, exponit gravissimis poenis quas contra hujusmodi fraudes leges civiles statuunt. Attamen contra justitiam commutativam non videtur peccari: eo quod documentum amissum vel deficiens non erat nisi medium probandi jus quod per se actori inesse supponitur. (Gury. II. n. 13; Ball. P. n. 83) Cavendum tamen ne inde concludatur immunem esse ab injustitia eum qui fingit documentum quo jus nondum acquisitum ipsi tribuatur. Cfr. Vol. I. n. 674. ■

§ 2. DE REO.

11. I. Reo (quo nomine comprehendi solet quicumque se contra alium defendit) licet semper **crimen a se admissum negare**. Nam haec negatio, ex adjunctis, non est nisi restrictio late mentalis qua declarat se non admisisse crimen quod teneatur fateri. Neque aliter dicendum de explicationibus a reo confictis ad innocentiam suam probandam: nemo enim prudenter iis fidere potest, nisi quatenus circumstantiae allegatae aliunde constant.

Ex Jure Romano, quod vigere supponunt antiqui Theologi Morales, licebat judici, facta semi-plena probatione, ex. gr. per unum testem, per confessionem extrajudicialem, etc., reum interrogare de crimine et confessionem veritatis imponere ad probationem complendam: immo a reo exigebatur juramentum de veritate responsi quod judici interroganti dabat. Cfr. Ferraris, Bibliot. can. verbo *Probatio*, n. 4. Hoc jure vigente, censebant communiter DD. reum sic interrogatum teneri ad veritatem contra se fatendam: eo quod legitimae auctoritati parendum sit. Nihilominus multi, cum Lugo (disp. 40. n. 141 seqq.), excipiebant casum quo reus se per confessionem suam gravissimae poenae, puta mortis confiscationis omnium bonorum, etc. exponeret. Nitebantur praecipue hac ratione: legem humanam esse debere de re humano modo possibili et accommodata communi infirmitati; esse autem humano modo impossibile et heroicum quod reus confessione sua seipsum poenae mortis vel alii gravissimae addicat. Hodie locus his controversiis esset tantum in causis quae Jure Canonico instituerentur, in quo vetus illa dispositio permansit: nam, in Jure civili, jam nulla talis obligatio reo imponitur, nec juramentum defertur. (Ball. P. n. 101 seqq.)

12. II. Reo licet detegere occulta crimina testium, dummodo haec manifestatio necessaria sit ad vim testimonii invalidandam: nam licitum est reo se tueri iisdem armis quibus impugnatur. At si hujusmodi revelatio minime necessaria esset ad hunc finem, sive quia alia media innocua praesto sunt, sive quia manifestum est crimen nihilominus probatum iri, haec revelatio esset contraria, non tantum caritati, sed et justitiae, perinde ac si quis sciens volens in vulnerando aggressore moderamen inculpatae tutelae excederet. (Lugo, disp. 40. n. 22 seqq.) Practice apud juratos, donec sententiam tulerint, sperari potest successus e tali manifestatione. (Ball. P. n. 112) Id verum est, etiamsi testis coactus est: nam manet idem jus defensionis. Supponitur tamen, praesertim in hoc casu, aliqua proportio inter poenam quam reus declinat et malum quod testi infert, ne scil. gravissimum damnum inferat ad vitandam poenam levissimam.

Numquam licet calumniis uti, etiam ad repellendum calumniatorem. Cfr. Vol. I. n. 412.

III. Reo per se licet e manibus satellitum vel e carcere aufugere, sive ante, sive post sententiam judicis, sive gravissimam, sive levem poenam subiturus sit. Ratio est quod, etiam post justam sententiam, non est damnatus ut maneat in carcere, sed ut in eo detineatur: ideo sufficit ut, absque resistantia activa, poenam suam patiat. Ita, probabilior sententia, quam tenent inter recentes Ball. P. (n. 116) et D'Annib.

(II. n. 601) Plerique tamen AA., ut videre est apud S. Alph. (n. 280), hanc facultatem aufugiendi non admittunt nisi ante sententiam judicis, vel in casu quo reus ad poenam gravissimam damnatus est. Sed, si licet aufugere in hoc ultimo casu, licebit semper. Nam, iisdem plane verbis et legibus imponitur poena carceris unius diei et perpetua; ergo vel semper jubetur reus manere in vinculis vel numquam. (D'Annib. l. c. nota 28)

Ideo regulariter licet reo **carcerem effringere**, excepto casu quo ex effractione gravissimum damnum commune vel custodis sequeretur, dum ipse reus non nisi leve damnum evaderet. Ceteris autem, dummodo non sint ministri justitiae, licet reum in fuga capiendam juvare, sive consilio, sive suppeditatis funibus, lima, etc.: nam nihil pravi in hoc apparet quod alteri suadeatur res ipsi licita et quod ad eandem exsequendam juvetur. Iisdem tamen non licet reum in effringendo carcere juvare: quia tale jus omnibus agnosci nequiret, quin inde sequerentur gravissima publicae tranquillitatis damna. (S. Alph. n. 282)

Pariter illicitum est reo **corrumpere custodes** ut ejus fugae faveant, quando juste damnatus est: sic enim peteretur a custodibus quod ipsi sine formali peccato praestare nequeunt. Sed, quando sententia damnationis injusta est, custodem praemonitum corrumpere liceret: nam ipse nequit obligari ad cooperandum injustitiae saltem materiali.

13. IV. Resistere judici vel exsecutoribus justitiae non licet reo qui juste et servato juris ordine damnatus est, licet vero ei qui sententia injusta et contra ordinem juris lata damnatus est. Ratio prioris partis patet; posterioris ratio est, quia publica potestas nullam auctoritatem praebet judici vel exsecutoribus ad poenam contra juris ordinem exigendam: quare isti repelli possunt, sicut quisvis privati aggressores, formaliter vel materialiter injusti.

Ubi vero sententia materialiter quidem injusta est, sed lata secundum ordinem juris, communis sententia AA. tenet prohiberi resistantiam: eo quod tunc iudex et exsecutores possunt, immo debent, sententiam exsequi, nequit autem esse bellum justum ex utraque parte. Alii tamen, quorum sententiam merito probabilem habet Lugo (disp. 40. n. 40), opinantur etiam tum licere resistantiam. Rationem afferunt, quod jus exsequendi sententiam tunc non oritur nisi ex falsa praesumptione; haec autem in foro conscientiae cedit veritati: sicut, quando iudex errat in persona malefactoris et vult occidere Petrum loco Joannis, potest Petrus se defendere. Nec repugnat dari bellum justum ex utraque parte ob ignorantiam invincibilem unius partis. Ita Ball. P. (n. 115) et D'Annib. (II. n. 601) Requiritur tamen duo: ut absit grave scandalum, quod facilius oriri potest ubi sententia servato juris ordine lata est, et ut injustitia sit evidens.

CAPUT III.

DE ADVOCATO.

14. I. Advocatus (idem dic de procuratore a partibus constituto) opem fert actori vel reo : ideo, ut ejus obligationes cognoscantur, imprimis attendenda sunt ea quae modo de actore et reo declarata sunt. Ipsi etiam competunt ea quae supra (nn. 3 et 4) dicta sunt de scientia iudicibus necessaria et de diligentia in causis tractandis requisita. Si in alterutra deficit cum gravi culpa theologica, tenetur ad compensationem damni orti clientibus, erga quos se per quasi-contractum ad utramque habendam obligavit.

II. In causis criminalibus, semper licet advocato defendere reum, dummodo non usurpet media in se illicita, neque e liberatione malefactoris timendum sit grave nocumentum commune. Ratio est, quia reo ipsi idem est licitum. Inter media autem illicita reponendum foret quod advocatus propugnaret theoriam generalem prorsus falsam et perniciosam, juxta quam semper vel fere semper quae e mala passione oriuntur carerent libertate. Cfr. Vol. I. n. 23.

III. Causas civiles, etiam minus probabiles, *licite suscipit* advocatus, dummodo minorem successus spem sincere clienti declaret; illicite vero susciperet manifeste injustas. His accensendae sunt eae quas certo praevidet infelicem exitum habituras esse : hujusmodi enim causas neque ipse actor, rei conscius, prosequi posset, utpote meras alterius partis vexationes, nisi infelix exitus unice improbitati iudicium foret adscribendus.

Advocatus tenetur, saltem in defectu actoris, *compensare damnum* quod, e causa injuste acta, alteri parti ortum sit. Quodsi clientem suum causae injustitiam celavit, ipse solus, tamquam actor principalis, tenetur ad compensanda damna quae, e causae prosecutione, utrique parti oriantur. Tandem si minorem causae probabilitatem clienti suo dissimulavit, reparare debet damna quae cliens ex illa deceptione patiat, nisi viderit hominem ita dispositum ut ad litigandum, quantulacumque sit spes successus, sit prorsus determinatus. (Ball. P. n. 70)

Hinc etiam patet graviter peccare advocatum qui temere causas quaslibet, nullo praemisso examine, suscipiat.

15. IV. Advocatus qui, decurrente lite, advertit causam civilem a se susceptam esse manifeste injustam, tenetur ad eam deserendam ; quodsi eam nihilominus prosequatur, tenebitur ad compensanda damna ex injusta actione secuta, eadem ratione ac supra. (III) Si tamen sciret clientem suum non destitutum esse a causa injusta prosequenda, posset alteram partem inducere ad compositionem faciendam ut se ab injusta vexatione liberaret. (Lugo, disp. 41. n. 6)

Regulariter nequit secreta causae injustae, quam deseruit, parti adversae manifestare. (2. 2. q. 71. a. 3) Excipe : si cliens injustus, etiam admonitus, nollet a causa prosequenda desistere, nec aliud medium daretur ad gravissimum damnum innocentis avertendum : in his enim adjunctis secretum commissum prodere licet. Cfr. Vol. I. n. 432. Plerumque tamen ad id non tenebitur, cum id generatim sine gravi incommodo proprio facere nequeat et obstant leges civiles. (Lugo, l. c. ; Lehm. I. n. 822)

V. In exigendo *salario* advocatus justitiae limites egredi nequit : ad quos cognoscendos, inspiciantur oportet omnia causae adjuncta, quae ejus operam majore praemio dignam efficiant, ut labor diuturnior vel difficilior, peritia advocati, etc. Regula tutissima est praxis timoratorum.

Jure Romano prohibebatur advocatus ne pacisceretur cum cliente ut pro pretio laboris acciperet partem aliquotam bonorum quae clienti in casu victoriae, obvenirent. Verum jam fere ubique Jus istud abolitum est, neque viget in Juribus recentioribus similis prohibitio, saltem in conscientia obligans. Quare talis contractus aleatorius jam licite initur, modo absit vis vel dolus, qualem committeret advocatus qui fingeret causae exitum, qui fere certus foret, esse valda dubium, vel melius esse clienti ut litem intentaret, dum eidem manifeste melius esset aequam compositionem ultro oblatam accipere.

Si cliens justam causam litis abrumpendae habet, puta amicam compositionem, agnitam injustitiam, etc. advocato competit tantum jus ad pretium laboris jam peracti. Sin autem casu vel pro mero arbitrio clientis abrumpitur lis, advocatus totam mercedem, de qua *conventum* fuerit, exigere potest (S. Alph. H. A. tr. 13. n. 70) : id tamen raro usu venit, cum non soleat pretium pro tota lite ab initio statui. (1)

(1) Obligationem quae incumbat advocato gratis causas pauperum tuendi determinant regulae datae de eleemosyna Vol. I. n. 222.

CAPUT IV.

DE TESTIBUS.

16. I Nemo tenetur ad testimonium sponte dandum nisi id necessarium sit ad avertendum grave damnum reipublicae vel tertii innocentis. Haec enim necessitas unicum hujus obligationis fundamentum est. Cfr. dicta de officiis succurrendi proximo et avertendi mala Statui vel Ecclesiae imminencia Vol. I. nn. 215 et 359. Hinc :

1° Desinit obligatio quando testimonium dari nequit sine gravi incommodo proprio, nisi illud sit prorsus necessarium ad avertendum grave damnum commune.

2° Numquam datur obligatio testificandi unice ut puniatur crimen praeteritum : nam ex ommissa tali punitione, nullum vel nonnisi leve damnum reipublicae oritur.

3° Si quis condemnatur ob crimen quod scis factum ab alio, non teneris prodere malefactorem ad liberandum innocentem : quia non est subveniendum proximo cum tanto damno vel periculo alterius, qui revera (ut supponimus) hujus erroris judicium causa non est (Vol. I. n. 516), ideoque se prodere non tenetur. Attamen, si crimen probari posset in judicio, *liceret* verum reum denuntiare, (Lugo, disp. 39. n. 1 ; Suarez, de Carit. disp. 8. sect. 6. n. 7)

II. Qui a legitima auctoritate **citatus est**, tenetur ad comparendum et ad veritatem judici interroganti manifestandam, nisi legitima ratione excusetur. Quodsi (ut fit) juramentum emisit, huic obligationi ex oboedientia ortae accedit obligatio ex virtute religionis. Etiam haec videtur admittere parvitatem materiae, quia juramentum, coram tribunalibus emitti solitum, est promissorium, saltem quod spectat obligationem integrae veritatis dicendae. Obligatio autem ex oboedientia per se gravis est, cum justitiae administratio multum ad reipublicae bonum conferat ; per accidens tamen fieri potest levis, ut si jam adessent alii testes sufficientes.

Probabilius testis privatus qui veritatem reticet, non peccat contra justitiam commutativam, ideoque ad restitutionem non tenetur. (Vol. I. n. 545) Nam illa obligatio e justitia stricta, quam quidam AA. adstruunt, oriri deberet e praecepto testificandi, quod a republica imponatur. Jamvero subditi non videntur voluisse ita se subdere reipublicae ut haec possit eos, quasi servos, obligare ex justitia ad actiones personales, neque talis potestas requiritur recto ordini servando, cui per potestatem praecepta imponendi omnino satisfit. (Lugo, l. c. n. 6 ; S. Alph. l. 5. n. 270)

17. III. Testis **excusatur** vel etiam quandoque **prohibetur** ab integra veritate dicenda, praesertim in casibus sequentibus :

1° Si judex, in causa de qua interrogat, non est legitimus vel juris ordinem non servat. Qualis sit ille ordo, imprimis e legibus civilibus cujusque regionis cognoscendum est ; jure autem naturali non stricte requiritur ut praecedat infamia, quod potius e Juris Canonici praescriptis multi DD. deducunt (Ball. P. n. 29), sed aliquid aequivalens, puta, nostris temporibus, denuntiatio seriis indiciis nixa.

2° Si testis rem novit e secreto tantum sacramentali. Cfr. n. 379.

3° Si testis rem novit tantum sub secreto commisso. Cfr. Vol. I. n. 432. Ideo a delicto manifestando excusantur, immo et prohibentur medici, advocati, etc., quibus illud, consilii petendi causa, manifestatum est. Excipe cum S. Alph. (l. 5. n. 268) casum quo imminet damnum commune, vel quo eadem res aliunde testi innotuit. Non excusantur autem testes a manifestanda re quam norunt sub secreto naturali vel mere promisso, eo sensu qui explicatus est Vol. I. n. 430.

4° Si ex testimonio testi imminet notabile damnum in fama, divitiis, concordia cum reliquis civibus, etc. Videndum tamen num forte, ex omisso testimonio, timendum sit tam grave damnum commune vel tertii ut damno testis praeponderet. (Lugo, l. c. n. 10)

5° Si rem accepit testis a viris qui non satis fide digni sint. Id reticere potest, etiamsi judex diserte interrogat num rem ab aliis dictam audiverit. Quodsi testis jubetur tantum dicere quae *scit*, videtur teneri ad manifestandum tantum ea quae propriis sensibus apprehendit : nam haec tantum proprie *scire* dicimur. (S. Alph. l. c.)

6° Si factum intellexit per injuriam, ex. gr. aperiendo litteras.

7° Si novit eum qui de re aliqua in judicio criminali convenitur, non peccasse, puta si quis, ob occultam compensationem factam, furti accusatur : quia mens judicis est de delicto tantum inquirere.

In his omnibus casibus, testis qui justam celandae veritatis causam habet, potest dicerè *se nescire*. Haec enim verba ex adjunctis satis intellegi possunt procedere de notitia de qua in praesenti legitime interrogetur. Cfr. Vol. I. n. 417.

N. B. Communius censebant AA. sub antiquo Jure scribentes (S. Alph. n. 267) non teneri testem ad veritatem manifestandam, si ipse solus ab accusatore producat, nec praecesserit semi-plena probatio vel infamia aut evidentialia indicia. Rationem afferunt : in his adjunctis non interrogari testem legitime, siquidem, juxta ordinem juris tunc vigentem, judex interrogare poterat tantum quando praecesserat semi-plena probatio, infamia vel notorietas. Hodie vero non solent leges civiles determinare certum numerum testium ad crimina probanda, vel probationes quae citationem rei praecedere debeant. Nihilominus aequivalenter servari

solent quae vetere Jure posebantur : neminem enim solent judices citare nisi praecesserint indicia probabilia reatus, neque damnare ob *nudum* unius testimonium. Quare, practice, respondere debet testis, nisi forte, in casu rarissimo, sciat nullum aliud testimonium nullaque alia indicia contra reum afferri posse.

18. IV. Testis qui sciens volens falsum testimonium profert, non solum peccat contra religionem, ob violatum juramentum, sed et contra justitiam commutativam, si asserta falsitas nata est aliis damnum inferre, ut per se liquet.

Hinc tenetur ad reparanda omnia damna quae e falso testimonio alii orta sint, juxta principia generalia de restitutione; excusatur tamen si jam testimonia falsa sufficientia ad judicem decipiendum praecesserint. (Vol. I. n. 540) In specie debet revocare falsum testimonium cum pari suo damno et periculo etiam vitae, si reus de ea periclitetur, dummodo putetur revocando aliquid effecturus. (S. Alph. n. 269) Manet eadem obligatio restituendae famae vel ipsi defuncto vel ejus familiae, si in istam infamia e falso testimonio redundavit. Saepe in praxi a retractatione excusabitur calumniator, eo quod, causa finita, nihil efficeret. Sed manerent compensanda detrimenta quae heredes in bonis fortunae ex eadem calumnia passi essent. (Lugo, disp. 15. n. 9)

Si fiscus ex falso testimonio aliqua mulcta pecuniaria fraudatus est, probabile est nullam esse restitutionem faciendam, eo quod fiscus ante sententiam nullum jus strictum ad mulctam habet. Id a fortiori concludere licet ex iis quae n. 4 de judice in simili casu dicta sunt.

V. Testis qui falsum ex errore vel inadvertentia testatus est, tenetur ex justitia ad impedienda damna quae inde in alium oriri possint; non tenetur tamen cum proprio incommodo gravi. Ideo ad damnum hujusmodi reparandum numquam obligatur nisi illud impedire, cum posset, gravi culpa theologica omisit. Haec sequuntur ex dictis Vol. I. n. 513.

CAPUT V.

DE MEDICIS ET CHIRURGIS.

19. Jam satis e supra dictis patent multae eorum obligationes, ut habendi scientiam rebus tractandis competentem (n. 3), adhibendi diligentiam gravitati et periculo morbi vel operationis proportionatam,

reparandi etiam damna quae negligentia graviter culpabili intulerint (n. 4), succurrendi pauperibus in necessitate positis (Vol. I. n. 222 seqq.). Praeterea haec attendenda sunt :

I. Medicus ex justitia tenetur ad praebendum aegroti remedium quod existimat tutius : certum, si novit ; probabilius, si tantum probabilia praesto sunt, Nam, vi contractus taciti, obligatur ad providendum saluti aegroti meliore qua potest ratione. (S. Alph. l. 1. n. 44 seqq.)

II. Non licet applicare remedium vel facere operationem chirurgicam infirmo, etiam desperato, quando *ignoratur* utrum id sit futurum salutare an noxium et *unice intenditur experimentum fieri* : id enim manifeste contractui inter aegrotum et medicum inito adversatur. Neque fit licitum hujusmodi experimentum propter aegroti consensum, quando periculum est ne ipse moriatur vel mors acceleretur : nam neque ipse de vita sua disponere potest. Cfr. Vol. I. n. 361 seqq.

Ideo omnino improbanda sunt experimenta per incisiones, perforationes etc. quae perhibentur hodie fieri in quibusdam regionibus, inscio vel invito aegroti, cum ipsius vero periculo nulloque emolumento, et unice ut scientia chirurgica promoveatur. Sic etiam reprobandae sunt, cum Capellmann (Medic. Past. p. 31), vaccinationes ex secretis ulcerum syphiliticorum ad finem diagnosticum, nempe ut pateat num quis syphilitide latente laboret. Nam, si reapse eo morbo non inficiebatur, insitio eum syphiliticum faciet. Experimenta igitur periculosa facienda sunt in bestiis vel, si per leges licet, in capite damnatis.

20. III. Licet dare aegroti, cujus salus desperata est, remedium de quo *dubitatur* utrum sit profuturum an nociturum et mortem acceleraturum : idem dic de facienda in iisdem condicionibus operatione chirurgica. Hanc sententiam S. Alph. (l. c. n. 46) vocat *forte probabilioem*. Rationem affert quod " conformius est prudentiae et voluntati infirmi (praesertim si ipse expresse in hoc consentiat) applicare illi remedium dubium quam illud omittere cum certitudine mortis. " Idem non liceret quando aegrotus invitus esset, vel de ejus vita non desperaretur. Deinde cavendum ne in tale periculum conjiciatur sine praevia monitione, is qui conscientiae suae vel rebus temporalibus non providerit.

IV. Non licet lenire dolores ope morphii, cocaini, etc. praesertim per injectiones subcutaneas, nisi ea moderatione quae nulla gravia detrimenta secum trahat ; multo minus licet medico hominem, funesta talium injectionum cupidinae abreptum, adjuvare suppeditando siphunculum, morphium, etc. Nam e nimio illius lenimenti usu sequuntur magna detrimenta sanitati et interdum ipsa amentia.